

*et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est filio Dei*¹⁾, — vere (inquam) glorie illi est gloria ista non longe dissimilis. Denique quod fuit illic tam magnus ille caminus ignis fortiter succensus imperio regis illius, qui typum gerebat
 5 diaboli, hoc fuit nocte illa totum castellum istud in unum ignem conflatum et quasi unus caminus effectum (ut supra diximus)²⁾. Areis sive horreis nostris et ceterorum, quę novis messibus^{b)} plena erant, flammam edificiorum in immensum augmentibus cum undique circumvallatum et altitudine flammarum coopertum non lederetur monasterium, nonne
 10 pueri tui, Domine, scilicet fratres omnes et multi qui intus confugerant pauperes, in medio ignis ambulabant? Tu enim, fili Dei, prompta^{c)} gratia cum eis ambulasti, et huiusce dignationis tuę tria testimonia dedisti signa hæc, quorum duo viderunt, qui videre voluerunt vel ad videndum accesserunt, scilicet corpus tuum cum vasculo, in quo erat
 15 repositum³⁾, et corporale incommutatum^{d 4)}, sicut saraballa^{e)} puero-
 rum illorum commutata⁵⁾ sive adusta non fuerunt. Tertium quod fuit species viri super monasterium incumbentis⁶⁾, non omnes qui aderant vel prospiciebant viderunt, sed tam multi credibiles et auditu digni se vidisse fatebantur, ut non credere illis aut saltem^{f)} dubitare nefas
 20 putemus. Alias autem quid de visu^{g)} hominum querimus? Tanto incendio nihil resistere vel^{h)} superesse potuisset, nisi actu presens affuissetⁱ⁾ tua potentia, Deus. Proinde^{k)} te laudavimus et laudamus et adhuc laudationem tuam loquetur os nostrum et sancto nomini tuo benedicemus⁷⁾. Populus quoque, ubi corpus Domini procedentes circum-
 25 tulimus — erat enim (ut supra dixi)⁸⁾ dominicus dies, quo in memoriam^{l)} dominicę resurrectionis sollempni more processio agitur⁹⁾ — claro coniubilavit concentu, sacerdote supra memorato¹⁰⁾ reatum suum confitente cum fletu coram omnibus eo quod, cum cetera quę potuit incendio preriperet, istud unicum redemptionis et salutis nostrę sacramentum tollere fuisset oblitus. Ego una vobiscum, fratres karissimi,
 30 supra dictum corporale et pixidem illam pro summis reliquiis transferre ad maius altare et hoc monasticum^{m)} superscribere dignum duxi:

Hacⁿ⁾ corpus Domini flammam in pixide vicit.

b) m(en)sibus B c) prompta B d) *korrr. aus* contaminatum B e) sarabara B; sarabella M f) saltim B g) visa M h) aut AJM i) adfuisset AJM k) Perinde AJM l) eorum M m) monostichon AJM n) Hoc JM

1) Dan. 3, 12 2) c. 2 3) s. o. c. 5 4) s. o. c. 3 5) Vgl. Dan. 3, 94 6) s. o. c. 4 7) Vgl. Ps. 144, 21 8) c. 5 9) s. o. S. 397 Anm. 24 10) c. 4